





2

ORDINIS IVRIDICI  
IN  
ACADEMIA VITENBERGENSI 1792,  
H. T.  
PRO - DECANVS 2a  
D. CHRISTIANVS GOTTLIEB  
HOMMEL

DIG. INF. ET NOV. PROF. PVBL. ORDIN. CVRIA  
PROVINC. ELECT. SCABINAT. ET FACVLT. IVRID.  
VITENB. ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO  
SALVITEM PLVRIMAM DICIT.

---

INEST  
DE FVRTO QVALIFICATO NON ARMATO.

ORDINIS AVRIDIC  
SCHEIDENAU ENNSERGEBIRG  
TROPPAUEN  
CHRISTIANA GOTTLIEB  
HOMMEL

DIGITALISATION A NEW TROY HANDBRUCH  
EQUANC ELLCT SCVENDAT ET TROUET TALMUD  
ALTEBB TSESSAR

FESTOPI DANNUS

SCVENDAT ET TROUET TALMUD

INTEB

DE LUGO CANTABILE DE OTTO

**Q**uanquam plerique iuris nostri criminalis interpretes differen-  
tiam inter furtu simplicia et qualificata in eo collocent, ut  
haec coadunatis hominibus, et cum armis animo se defendendi con-  
gestis, committantur, illa vero non; in his puniendis pretii, quo  
res ablata venit, nulla ratio habeatur, in illis vero haec circumstan-  
tia in primis attendatur; iura tamen ad nemesis spectantia et quali-  
ficata assumere, quae sine armis et ab uno quoque homine perpe-  
trantur, in quibus atrocitas augetur per alias externas aggrauantes  
qualitates, v. c. loci, temporis, rerum amotarum, et personarum lae-  
farum, ita, ut pretium rerum ablatarum vel plane non, vel saltem  
id, quod in legibus ad poenam furti simplicis ordinariam infligen-  
dam constitutum, haud respiciatur, cum MEISTERO in Princip. Iur.  
Crim. Sect. II. cap. XXXI. §. 11. lit. a. et QVISTORPIO in *Grundsa-  
tzen des deutsch. peint. Rechts* Part. I. §. 373. aliisque existimandum.  
BERLICHIVS quidem in Conclus. XLIII. n. 43. Part. IV. furtu qua-  
lificata non armata in numerum simplicium magnorum non ratione  
quantitatis, sed qualitatis referre vult. At infinitas eundum non est,  
ratione poenae imponenda insigne adhuc intercedere discriben, si  
quidem hoc modo, quae poena in furtis ratione quantitatis magnis  
sit imponenda, eam quoque in magnis ratione qualitatis vbius iniungi  
posse, argumentari non licet. Ita et KOCHIVS in Inst. Iur. Crim.  
Lib. II. c. 1. §. 188. not. diuisionem furtorum qualificatorum in ar-  
mata, et quae talia non sunt, omni fundamento esse destitutam, au-  
tumat. At enim vero leges distinctas furtorum species proponere,  
in quibus a regulis furti simplicis tam magni, quam parui, nec non  
furti qualificati armati receditur, et diuersa pro qualitate delicti fla-  
tuitur poena, quibusdam exemplis, breuiter illustrabo.

4

Iam vero Romanos fures balnearios, qui vestes, sarcinasque depositas eorum, qui in balneis publicis lauant, sine armis surripiant, lauantium praedones nominasse, eos furibus nocturnis aequiparasse, et grauius, quam alios fures puniuisse, totus Tit. Digestor. de Furibus balnear. edocet. **IVL. PAVLVIS** vero in Sent. Recept. Lib. V. Tit. III. §. 5. de poena horum furum ita differit: *Fures vel raptor ret balnearum plerumque in metallum, aut in opus publicum damnantur. Non nunquam pro frequentia admissorum iudicis sententia temperatur.* Quem locum eleganter exposuit SCHVLTING-  
EVIS in Iurispr. Ante-Iustin. pag. 436. seq. Rationem vero huius feuerae sanctionis **IAN. LANGLAEVIS** in otii semestr. Lib. VII. cap. 2. suppeditat hanc: *Cum longe facilius sit, furari in balneis, quam alibi, vixque a balneari fure caueri possit, ne magna illa efficiendi facultas cuiquam occasionem peccandi daret, voluit legislator quasi ex aduerso maioris poenae metum opponere, initius vero cum his, qui in priuatis aedibus furantur, agendum censuit.* Add. **CHR. WILDOVOGEL.** Tr. de balneis et balnearioribus, cap. X.

Nec minus leges Romanae et Germanicae arbores in singularem tutelam receperunt, eas rebus sanctis adnumerarunt, vti id solide **ILL. WIESAND**, Antecessorum in hac Academia suo merito Princeps, in obseruationibus Iur. Rom. et Saxonici Spec. V. Obs. V. demonstrauit, satisque acerbas in eos, qui furtim istas ceciderint, constituerunt poenas. In singulas arbores alienas caesas XXV. assuum mulcta in LL. decemuirialibus iam est proposita. Vid. **Io. NICOL. FVNC-**  
**CIVS** in LL. XII. Tabul. pag. 150. seqq. Extra ordinem quoque punitur is, qui noctu frugiferas ceciderit, et plerumque, vt **IVL. PAV-**  
**LVS** in Sent. Recept. Lib. V. Tit. XX. §. 6. ait, in opus publicum ad tempus datur, aut si honestior sit, ordine submouetur, vel relegatur. Conf. SCHVLTING. in Iurisp. Ante-Iustinian. pag. 501. Quid quod **ICtus CAIVS** in L. 2. D. arbor. furtim caesar. eos longe duriori poena suisse affectos, hisce tradit: *sciendum est autem, eos, qui arbores et maxime vites ceciderint, etiam tanquam latrones puniri.* Roma inde in Germaniam transeamus. **LEX SALICA** in  
**Tit.**

+ + +

Tit. VIII. Leg. 1 et 2. grauem minitatur poenam iis, qui arbores domesticas außerre ausi fuerint, verbis: *Si quis pomarium siue quamlibet arborem domesticam extra clausuram exciderit, aut furatus fuerit C. XX. denar. qui faciunt solid.* III. culpabilis iudicetur, excepto capit. et dil. *Si quis vero pomarium, aut quamlibet arborem domesticam infra clausuram exciderit, aut furatus fuerit, DC. den. qui faciunt solid.* V. culpabilis iud. exc. cap. et dilat. Cum quoque animo lucri faciendi gratia saepe arboribus cortex detrahatur, EADEM LEX in Tit. XXVII. Leg. 23 et 24. violatoribus acrem imponit poenam. Inprimis vero deglorationi arborum dirissimum constituit supplicium ORDINATIO MARCALIS zu Ober-Uefsel de anno 1484. apud LERSNERVM in Chron. Francofurtensi Lib. I. cap. 31. et STISSERVM in Histor. Forest. Germ. App. litt. G. vi cuius nemo arbores corticibus spoliat, si quis hoc crimen perpetrauerit, eius umbilicus exspectus ad arborem affigatur, eiusque intestina, arborem circumducendo, extrahantur. Verba in nostro idiomate vide apud BOEHMER. ad CARPZOV. Prax. Cr. Quaest. LXXXIII. No. 21. Obs. 1. et ILL. MEINHOF. in Obs. Iur. Germ. et Sax. Obs. 1. §. 5. Cui simile est illud, quod in VETERIS IURIS PROVINCIALIS SCHLAVENBURGICI QVAESTIONIBVS obuenit, vbi haec traduntur: *Si quis arborem fructiferam caedat, et truncum furtivo more abscondat, huius dextra tergo alligator, et penis ad truncum clavis ferreis fixator, sinistra tamen accipiat securim, ut ea se possit abscedere seu soluere.* Verba ipsa in nostra vernacula habet C. F. HOMMEL. in Orat. de iure Arlequinizante pag. 34. seq. An vero vtrique poena cruenta his in terris umquam applicata, et non potius in terrorem tantum proposita fuerit, nescio. CAROLVS V. in Nemesis sua Art. CLXVIII. in eo, qui noctu aut die feriato arborem sciderit, et furtim contrectauerit, poenam furti simplicis ordinariam augendam esse, his sanctis verbis: *Doch, wo einer zu ungewöhnlicher oder verbothener Zeit, als bey Nacht oder Feyertagen, einem andern sein Holz gefährlicher und diebischer Weise abhauet, der ist nach Rath härter zu strafen.* Add. CHR. WILDVOGEL. in Disp. de eo, quod iustum est circa arbores. ILL. PAVLI Progr. de Arboribus et delictis circa eas commissis.

Priscos

Priscos Germanos in furto Aratrorum puniendo singulari vfos fuisse rigore, et a poenis furti simplicis regularibus vehementer discessisse, ex Legibus BVRGVNDIONVM Tit. XXVII. L. X et XI. LONGOBARDORVM Leg. CCXCIII. nec non IURE PROVINC. SAX. Lib. II. Art. XIII. et SVEVICO cap. CXIII. §. 4. elucet. Cum vero his de legibus, me Praeside, in Disp. de furtis agrariis eorumque poenis §. 5. fulius actum fuerit, et HEIMBVRC. in Progr. de furto aratrorum, KRESS. in Tr. de priuilegiis agriculturae apud Germanos, item FRICK. in Tr. de Aratrorum sanctitate de hac furti qualificati specie nulla proposuerint, nolo ibi iam collecta repetere.

Pari modo in legibus Romanis et Teutonicis antiquis satis acerbae reperiuntur sanctiones circa crimen Abigeatus et furta armatorum, iumentorum et pecudum in agris, pratis, sylvis pascualibus, stabulisque commissa, quae HARRPRECHT. in Disp. de Crimine abigeatus, THOMASIVS in Disp. de Abigeatu, G. L. BOEHMER. de Abigeatu et furto equorum in El. Iur. Civ. Tom. III. Exercit. XXI. ILL. PUETTMANN. in Aduers. Iur. Vniuers. Lib. II. cap. XXVII. eleganter et copiose exposuerunt, ut ob breuitatis studium lectors ad eorum scripta aequa remittere queam. Vtrum vero hactenus recensitae furtorum species in numerum qualificatorum, in quibus tam coadunati homines, quam arma animo se defendendi congesta absunt, Iure Saxonico Electorali similiter referri possint? incidit quaestio. Haec vero ob CONSTIT. El. XXXV. seqq. Part. IV. recentioresque sanctiones omnino est neganda. In his enim furtiuis rerum abductionibus generalia et communia iuris nostri, de furto simplici puniendo, principia, in quibus pretium rerum furto ablatarum tantum spectatur, hodie sequimur. At sunt aliae animo furandi factae contrectationes, quae etiam iure Saxonico Electorali qualificatis haud armatis sunt adnumerandae. In quarum censum refereo furti alias simplicia, sed reiterata, famulorum domestica, militum in statione versantium, metallorum, et tempore incendii commissa.

Quem.

7

Quiemadmodum vnum quodque delictum eo grauius habetur, quo frequentius a facinoroso commissum, cum animum insanabilem et a spe emendationis valde remotum prodat, ita furta reiterata vice perpetrata omnium populorum legibus ac moribus, tanquam improbiora, seuerius sunt vindicata. Iam ICtus CALLISTRATVS in L. 28. §. 10. D. de Poenis, Graffatorem, si saepius depraeuatorit, capite puniendum esse, statuit. Add. L. 3. D. de Abigeis. Nec non poenam in legibus determinatam, aut arbitrio iudicis relictam, ob repetitionem huius delicti augeri, aut exasperari, LL. LONGOBARD. Lib. I. Tit. XXV. Leg. 54. apud GEORGISCH. in Corp. Iur. Germ. Ant. p. 1068. NEMESIS CAROLINA Art. CLXI. seq. CONSTIT. SAX. El. 32. 34 et 35. Part. IV. compluresque aliae sanctiones poenales recentiores in terris Saxonis editae et ineditae luctulentissime probant. Requirunt vero pragmatici rerum criminalium doctores, ut primo haec amotiones re et tempore sint distinctae, deinde post causae cognitionem, sententiamque latam a iudice sint punitae, quamvis BÖHMER. in Medit. ad CCC. Art. CLXII. §. 4. et ad CARPOV. Pr. Cr. Qu. LXXVIII. No. 82. obs. 9. nec non PVFENDORF. Proc. Crim. cap. XXV. §. 10. ex mente Carolinae Sanctionis, cum Caesar non ex poenarum, sed furtorum numero famosum furem aestimet, hoc ultimum requisitum haud exigant. Quicquid sit, in Saxonia ex benigniori sententia necesse est, ut poena ob antecedens patratum furtum legali modo, saltim semel, ad executionem sit perducta. BERGER. in El. Iurispr. Crim. p. 40. LEYSER. ad Pand. Spec. DXXXV. med. 12. Contra poenae capitali ob repetitionem non aliter locum relinquit, quam si bina iudicis admonitio poenalis praecesserit, WERNHER. Part. V. Obs. 197. Ut vero ob reiteratam contrectacionem poena ergastuli, v. c. sexennalis, imponatur, non sufficit, ut furiuam aentea a parentibus aut praceptoribus propter rerum ablaciones fuerit castigatus, quippe ista coercitio rationem poenae non habet, quae non nisi per sententiam iudicis infligenda. BÖHMER. ad CARPOV. Pr. Cr. Qu. LXXVII. No. 82. Obs. 9. Immo complures Iuris interpretes ne quidem expiationem priorum furtorum per earerem, et numellas, si de poena capitali dictanda agitur, pro sufficientia.

ficiente habent. QVISTORp. *Grundsätze des deutsch. Peint. Rechts*  
 Part. I. §. 355. Ceterum nihil refert, vtrum reiterata furtu in uno,  
 an diuerso territorio fuerint perpetrata; Oneratur enim quodlibet per  
 reliqua alibi commissa. BERGER. in El. Iurispr. Crim. p. 40. et  
 BOEHMER. in Med. ad CCC. Art. CLXII. §. 2.

Romanos furtu famulorum et ancillarum in heros suos com-  
 missa, praecipue, si res surreptae viliores essent, mitius puniuisse,  
 ex L. 89. D. de Furt. et L. 11. §. 1. D. de Poenis appetat. Sed  
 cum hi fures, qui in coniunctu et mercede sunt furtum passi, duplex  
 crimen perpetrent, dum rem alienam auferunt, et fidem dataim fran-  
 gunt: hinc securitatem domesticam simul perfidia sua turbant, mul-  
 tumque tribuendum est axiomati in recta ratione fundato: *quo mi-  
 nus aliquad malum evitari possit, eo magis eidem obuiam cundum  
 esse*, in plerisque Germaniae terris hi fures domestici ex his iusti-  
 simis pariter ac aequissimis caussis non modo aequali cum extraneis,  
 sed et duriori afficiuntur poena. Qua seueritate hoc delictum in  
 Electoratu Hanouerano, Ducatu Brunsvicensi et Luneburgico vindice-  
 tur, fuse exposuit AYER. in Disp. de Furti domestici poena in ter-  
 ris Brunsvicensibus. In Saxonia Electorali licet tam in CONSTIT.  
 AVGVSTI 38. Part. IV. quam in Nova ac REVISA ordinat. de Fa-  
 mulit. an 1753. et 1769. Tit. VI. promulgata cautum, ne furtum  
 famulorum mitius puniatur, quam extraneorum, nihilo tamen secius  
 ex rebus iudicatis, quae in recentioribus legibus ineditis fundamen-  
 tum habent, facile intelligitur, famulitio et ob res parui pretii he-  
 ris abductas, poenam ergastuli, et insuper, si pretium harum maius,  
 nonnunquam numellarum imponi, qua certe fures extranei non fu-  
 issent affecti, vt hinc non dubitandum, quin et hoc facinus in nu-  
 merum furtorum qualificatorum non armatorum a Legibus nostris  
 referri possit.

Quod et asserendum de militis furtiis rerum suo praesidio  
 commissarum surreptionibus. Locus et officium hic reddit furtum  
 qualificatum. LÜNIG Corp. Iur. Milit. Part. General. cap. 1. n. 33.  
 et

et 39. In Saxonia hoc de flagitio, eiusque poena severa, vid. DECIS. ORDR. de an. 1755 et 1756. penes HOFFMANNVM in Codice legum militarium Sax. pag. 982.

Porro furtum materiae *Kobald* dictae in Saxonia Electorali qualificato adnumerari debere, exinde colligi potest, quod in hoc nec pretii rerum, nec factae restitutionis ratio habeatur, sed poena capitalis ubique imponatur. Vid. MANDAT. de an. 1723. et Rescript. de an. 1733. in COD. AVG. T. II. pag. 486. et CONT. T. I. pag. 1363.

Tandem iustissima omni iure est introducta severitas in furto tempore incendii patrato. Praetor Romanus dabat laeso in hac calamitate, qua afflito noua additur afflito, contra hunc furem improbum actionem in quadruplum. L. I. L. 3. §. 4. D. de Incendio, ruita, naufrag. Quam ciuilem persecutionem in quadruplum et WISIGOTHI in Legibus suis Lib. VII. Tit. II. L. 18. retinuerunt. FREDERICVS I. Imperator, hos fures, raptoresque capitali sententia ferriendos esse et ablata in quadruplum dominis restitui debere, sancuit, quam legem resert SCHILTER. ad Pand. Exerc. XLIX. §. 18. In terris Hanoueranis furtum occasione incendii commissum, respectu ad pretium rei ablatae non habito, capite puniri, tradit EDICTVM singulare de an. 1710. penes KRESSIVM in Comment. ad CCC. pag. 855. seqq. In terris vero Saxonici Elect. hoc furtum accedere in cumulum qualificatorum non armatorum, eo magis est accipendum, quo certius est, ut in poena constituenda pretii rei contrectatae ratio non habeatur, et ergastulo decennali, et insuper, pro gradu malitiae, praecedente expositione in numellis, expietur.

Sed vterius progredi non licet, cum instituti ratio me reuocet ad indicandos honores Candidati Ornatissimi,

IOANNIS CHRISTIANI STARKII,

HUBERTIBVRGO - MISNICI,

b

de

de cuius vita, studiis, peregrinationibus literariis laudatissime actis ipsum differentem audire iuuabit.

**E**x usu solenni cum iis, qui ad summos in Academiis honores adspirant, hoc officii incumbat, ut vitae suae studiorumque curriculum breui summa comple-  
tiantur, gratumque simul iis, per quos variis ac singularibus beneficiis se ornatos sentiant, animum pie tefsentur; haud alienum a me iudico, cui insigni prouidentiae munere, plures, cognoscendi studio, terras adire, et a plurimis iisque summis viris, multis comitatis liberalitatisque signis condecoravi contigit, non tam vitae historiam exponere, (quippe quae tanti vix aestimanda, ut eam scire cuiusquam interfit) quam haec potius ex ista decerpere monumentique quasi loco ponere, quae gratissimam erga eos mentem flagitant, a quibus profeci, quorum summa in me extant merita.

Natus sum anno MDCCLVI. die VI. Maji sub funesti illius belli se-  
ptenarii initio, loco tamen laetissimi auguri, qui Patriae atque Europae fere  
uniuersae pacem desideratissimam restituit — Hubertiburgi. Pater mihi fuit  
MARTINVS STARKIVS, mater autem ex celebri illa gente SIBERIA, cuius pater  
et sex auunculi Doctiores SS. Theol. existere, quaeque sanguine attigit splen-  
didam gentem CHLADENIANAM, meritis in hac Alma b. CHLADENII V. ill. no-  
bilitatam. Pater optimus Hubertiburgi hortulanii aulici, quem vocant, maneri  
praerat; sed regio palatio hortisque superbis, durante bello illo infestissimo,  
destructis, optimi PATRIS PATRIAE clementia Misericordiam translatius, commercium  
ibi salinarium ad annum MDCCCLXXVIII. usque administravit. Quo infau-  
tissimo anno paens indulgentissimus mihi, de matris adhuc carissimae obitu, quae  
paucis annis ante decesserat, afflito, morte eruptus est. Acerbissima haec fors,  
quam morte parentum subi, utraque vice absentem me opprescit; illa enim ma-  
tris evenit, cum Lipsiae esse studiis liberalibus et Iurisprudentiae operam na-  
vans; haec autem patris amantissimi, eum Hanoverae commorarer. Memoriam  
illam imo animo reposcam, luculentissimisque amoris documentis, quae abunde pa-  
rentes optimi in me contulere, suffultam, nulla unquam obliuio delebit, nec pia  
mens unquam immatura morte mihi eruptos lugere desinet. A primis fere incu-  
nabulis tradiderat illi me priuatis doctioribus, inter quos singulari studio colo  
RICHTERVM V. Clar. huius temporis sacerorum antisitem prope Oschorz, cuius in-  
tegritatem, humanitatem ac doctrinam gratissima semper mente sum celebratu-  
rus. Rite sc̄ preparatum in numerum Extraneorum Scholae Electoralis, quae  
in

◆◆◆

14

in monte Afra Misenensi floret, recipi me curarunt, ac SCHREGERI V. Clar. singulari curae demandarunt; cuius optime de me meriti viri, ut etiam b. HOERII et GOTTLERBERI, qui tum insigni et grauitate et laude scholam deinceps regebant, eximiam in me excolendo fidem gratissima mente veneror. His ducibus per quinquennium usus, tirocinioque posito, Almae matri Afrae valedixi et Lipsiam, celeberrimam ac geminam cum Leuorea Musarum sedem, studia mea transitul, ubi sub auspiciis ERNESTI V. Exc. ius ciuitatis academicae impetravi. Hic continuo ZWANZIGERI et SEYDLITZII Virt. Clarr. scholas philosophicas frequentare, in philologicis, historicis et statuum notitia Cel. b. ERNESTII, CLODII et BOEHMERIC, nec non WENKII V. Ill. praelectionibus interesse institui. Quibus diligenter auditis adii illustres iuris antecessores SCHOTTIVM, litterarum orbi iamiam nimis properata morte erexit, RAVIVM et SAMMETIVM Virt. Cell. qui mihi Encyclopaediam et Historiam iuris, Ius Naturae, Institutiones et Digesta Iuris Civilis, nec non Hermeneuticam iuris, Ius Germanicum et Criminale explicuere. In Iure Canonico, Feudali, Processu et arte relatoria immortalis HOMMELIO, KIN-  
DIO V. Ill. et b. WILKIO cum BREVNINGIO, ducibus usus sum. Singularem fauorem, benevolentiam immo amicitiam tam illustrium ac praeclarorum virorum grata mens tacere non potest, et si tanta Nomina laude mea minime egeant. Iu-  
pis autem nullo unquam tempore insignem fauorem, et egregia benevolentiae do-  
cumenta a beato SCHOTTIO in me collocata, ex animo dimittam. Peractio trien-  
nii et quod excurrerit, cum in procinctu essem, officinam aliquam iuridicam petendi,  
vicit ardor longe lateque peregrinandi. Accepi igitur oblatum sub hac spe praec-  
ceptoris domestici munus in familia illustri Helvetica THIERRY, Hanouerae com-  
morante; in qua, non externi instar, sed paterno prorsus amore receptus, duos  
annos et dimidium suauissime peregi, saepiusque intra hoc temporis spatium Brun-  
suici commoratus, b. Abbatis IERUSALEM, b. LESSINGII, GAERTNERI, EBERTI,  
SCHMIDII et ESCHENBURGII Virt. Cell. vti Hanouerae ZIMMERMANNI V. Ill. et  
SCHLEGELII V. P. R. singularem fauorem expertus sum. Vita haec tranquilla,  
et si felicissima, subigere minime valuit desiderium vitae quasi Nomadicae, quo te-  
nebar. Reversus in patrem, Lipsiae vocationem in Liuoniam accepi, ubi domo  
perillustri ac nobili ADAMI HENRICI a GROTE idem manus, quo Hanouerae per-  
functus eram, sub eadem spe, sed meliori successu, suscepit. Moror cum incredi-  
bili quadam voluptate hoc in vita meae quasi abitu, qui per XII annos fauore  
parentum generosorum et filiorum amicitia dignissimorum insignis fuit, et, dum  
vivam, intime gratissimae menti inhaeredit. Ab anno MDCCCLXXX. quo nau-  
ad littus Liuonicum accessi, usque ad annum MDCCCLXXXV. vitam degi laet-  
issimam et beatissimam partim Rigae, partim in fundis familiae; eoque tempo-  
ris intercallo omnem curam gessi eorum, quae ad excolendum animum ingenium-  
que

que laetissimae spei iuuenium pertinerent. Fundamentis sic firmiter positis; per illustris pater filios natu maiores, GUILIELMVM et FRIDERICVM A GROTE, in Academiam Georgiam Auguftam misit, ipsique me studiorum comitem esse per benevolie iuifit. De qua singulari in me collocata fide eo magis laetabar, quo iucundius fuit consortium nobilissimorum, mihiq[ue] amicissimorum iuuenium, parentum optimorum virtutes, vti par erat, intuentum. Per duos annos Gottingae commoratus, FEDERI V. Exc. praelectionibus in Logicam, Metaphysicam, nec non in Philosophiam moralē cum studio interfui; HEYNIO V. Ill. etiam Horati Epifolas, et Archaeologiam enarranti summa cum voluptate operam dedi, et intimo animi sensu dolui, infirmissimo, quo tunc conficiabam valetudinis statu, sapientis hanc interruptam fuif. Nec praeter eundus hic eximus ille fauor atque amicitia, qua me, popularem sūm, incomparandi huīus viri summa humanitas condonauit. Sed cum morbi illius, quo per sex menses oppressus iacui, tristissimae recordationi immoror, non possum non grata celebrare memoria artem STROHMEIERI Vir. Exper. quo inclito utebar medico, totiusque SCHLOEZERIANAE domus liberalissimam curam, qua ea me omne per hoc acerbum tempus singulari plene fauore amplexa est. Ipse SCHLOEZERVS V. Ill. mihi Rerum gestarum Notitiam, Prudentiamque Ciulem tradidit; quibus praelectionibus, quod non minus recordanti mihi in deliciis est, cum illustri filio DOROTHEA SCHLOEZER, nunc RODDE, cui breui post Amplissimus philosophorum Ordo suum honores meritissime tribuit, interfui. LICHTENBERGIVM vero, BECKMANNVM et BLVMENBACHIVM, Virr. Ill. in Physicis, Oeconomia et Camerali vti etiam Historia Naturali habui doctores. Flagrante desiderio Iuris Publici perquirendi aliarumque Iurisprudentiae partium adiungendarum, adii PÜTTERVM et a MARTENS Virr. Illustr. illum Ius Publicum Germaniae ac Ius priuatum Principum tractantem, hunc de Iure Gentium Europearum praeclarissime eloquentissime differentem. Incidit hoc in tempus iter in Alsatiam, ubi me per aliquod tempus Strasburgi tenui; unde, perlustratis sedulo omnibus, quae haec antiquissima urbs sua cum viciniis regionibus magno numero offert spectatu digna, perspectis quoque bibliothecae ornamenti, et final SWEIGHAEUSERI, KOCHII et HERRMANNI Virr. Celeb[us] consuetudine r[es]i, Gottingam reuersus sum. Ad hoc idem tempus referenda sunt solemnia Georgiae Auguftae semicircularia, quorun splendor augustinorum principum regiorum, ERNESTI AVGUSTI atque ADOLPHI, praefentia summopere augebatur, ibique pro salute et incolumente cum Regiae domus Auguſtorumque Principum, qui singulari et Nobilissimos iuuenes a GROTE et me dignati sunt gratia; tum almae Uniuersitatis et tot tantorumque virorum, qui multis nominibus me sibi denuntiſſimum reddidere, ferventissimas meas preces iuxxi. Eodem adhuc anno MDCCGLXXXVII. in patriam cum generosis mihiq[ue] amicissimis Iuuenibus redii,

et

et Lipsiae per annum et sex menses me continui. Ibi maxime HINDENBURGIVM V. Ex. in Physicis audiui, Celeberrimique PLATTNERI paeledionibus, quibus Logicam et Aesthetican, Metaphysicam, philosophiam Moralem et Ius Naturae docet, diligenter interfui; qui quidem doctrinae praestantiam eleganterque, qua pollet suauissimis amicitiae condimentis commentabiliorem, si potest, adhuc fecit, Viennamque sub idem tempus me adeuntem, litteris efficacissimis ita prosecutus est, ut in Illustribus viris a SONNENFELS et BIRKENSTOCK aliisque fautores insignes deprehenderem, huiusque imprimis commendationi consuetudinem Perilustris LAVDONI, hostium olim terroris, acceptam referam. Perilustris Vienae bibliotheca imperialis atque artium, nec minus Historiae Naturalis thesauris, Lipsiam redux, iter in praecipuis Europae regiones paravi, cum Cartesio opinatus, magis hinc in veritatis cognitione promoueri, quam si in libris euolwendis litteratorumque sermonibus audiendis omne tempus consumatur. Discessi Lipsia vere in eunte anni MDCCCLXXXIX, et ad lacum Lemnatum me contuli, ubi Genevae praecepue commoratus identidem excursiones in varios Helvetias traxi, ac quidquid natura excelsi, magni atque pulchri habet, hac in terra praeiens admiratus sum. Gratissima quoque recordatione colam tot viros omni laude celebres BONNETVM, SAVSVRIVM, LAVATERVM FVISSLIVM aliasque, quorum consuetudo incundissima mihi fructuque verryima fuit; vt nec memoria singularis industriae, priscae fidei antiquique moris Helvetiorum in me obliterabitur, et si morum illam simplicitatem hac illac grauius irretitam vidi dulcibus exterorum vitiis, quam multorum peregrinatorum piae fabulae eos decantent. Ex Helvetia, austumno appropinquante, provincias Francogalliae Meridionalis ingressus, lustratisque iis, quae in ipsis, ipsarumque praecipuis urbibus cogniti digna se offerunt, Lutetiae Parisorum per tres fere menses me tenui. Iam tunc procello illa ciuilium turbarum vires undique colligebat, quo grauius erumperet; iam tunc Comitia illa nationalia, quae vocantur, conuenerant, saepiusque Comœdiarum Tragoediarnaque quotidie in iis exhibitarum, spectator adstiti, nec sine acerbo animi sensu dolui, antiqua omnia promiscue auelli ac rescindi, nec materiam nouae domo exstruenda idoneam retinere. Vere primo annis sequentis Anglia me recepit. Ibi per VIII. fere menses versatus, totamque peragrus tot ornamenti paeleditam reperi, vt, unde laudandi initium capiam, multitudine rerum magnitudineque obruitus, penitus ignorem; quanquam longissime ab iis dissensio, qui omnia, quae Angliam sapint, incomparabila et pleno ore laudanda censem. Abhinc Bataviam petii Lugdunique maxime RHVNCENIVM, virum in paucis clarum, non minori humanitate ac liberalitate reperi, deinde, Germania pervagata, ad comitatum Tirolis Venetorumque rempublicam descendit, atque hac relichia, classicum solum Romanum attigi. Sed Romam vix ingressus,

horret animus pluribus referre, in quantum terorem doloremque fuerim conieclit.  
 GUILIELMVS a GROTE maior natu perillulium Iuuenum curae meae traditorum,  
 quos inter primos, paucos illos hodie rarosque, ob morum elegantiam, probita-  
 tem et alias egregias animi virtutes aeque ac omnes boni, candide dilexi et se-  
 gulari pretio caros habui, grauissimo morbo, febri putrida inflammatoria affe-  
 ctus, anno MDCCCLXXXI. die VIII. Aprilis, XXIV. aetatis annum agens,  
 praematura morte obiit. Lugubris lacrymarumque plenus ille dies semper infan-  
 duni iubebit renouare dolorem! Sed licet paullulum indulgere doleri iustissimo,  
 quem, licet ima mihi praecordia concutiat, eo. lubentius tamen secter et alo, quo  
 saepius defructuum vberate, quam egregius huius iuuentae flos spondebat, cogito.  
 Ea enim erat Iuuenis rariissimi exempli morum suavitate, vt omnium animos, in-  
 cantatos veluti, primo flatim conspectu, facilline fibi conciliaret, eoque animi can-  
 dore, vt semel fibi conciliatos nunquam dimitteret. Acrem studiorum ad vitam  
 utilium feruorem, cui insignes in iis profectus debebat, ingenii vberate iuuabat,  
 maturitate temperabat. Principis Iuuentutis nomen iure meritoque fibi vindica-  
 bat; intuens enim, tanquam in speculum, in vitam tot virorum, factis honestissi-  
 mis celebratorum, sectatu digna diligenti imitatione exprimere magno cum fructu  
 diccerat. Quis iam modus doloris et desiderii tam cari Capitis! Omnibus fle-  
 bilis occidit, nemini flebilior quam mihi! Iacent ossa lacrymis et comploratu pro  
 conclamati Iuuenis in monte Testaceo prope Pyramidem Caii Cestii, ubi parentes  
 moestissimi nobil monumentum illi ponи curarunt. Nulla autem unquam obliuione  
 delebo, et dum anima spirabo mea, gratissimus commemorabo singularem fidem,  
 amicitiam atque amorem Summe Venerabilis Abbatis BODKIN ex illustrissima gente  
 KILLELOONY Irelandica, auctoritate Cleri Romano-Catholici in Irelandia Romae  
 degentis; qui tristissimo illo tempore consilio auxilioque ita nos adiuit, ut plura  
 et maiora ab amico sperare nefas foret; neque unquam abhinc, dum Romae fu-  
 mis, officiis suis humanissime nos prosequi desisti. Morte GROTI Nostri sua-  
 riissimo comite committonque orbat, fratris moerenti ac mihi Roma et tota Italia  
 lugere, amoenitatemque omni destituta videbatur. Peragrato nihilominus regno  
 Neapolitano, Toscana et Lombardia, cognitisque maxima ex parte iis, quae in-  
 numerabilia his in regionibus asservantur antiquitatis monumenta, per Pedemon-  
 ti et Sabaudiae Ducatus in Heluetiam valeitudinis et aumi reficiendi causa re-  
 nversi, ineunte hieme Lipsiam properauimus, unde vero primo redditum in patriam  
 paratumus. Cum vero Dania et Suecia haud pauca habeant, quibus se peregrina-  
 toribus discere auidis commendent, neque modo viros quacunque laude insignes,  
 sed tot etiam memoratu digna continent, operae pretium facere indicauimus, si  
 per has ambages in amatam Lituaniam rediremus, id quod felicissimo succelu-  
 quamuis Aeolo infesto, peregrimus. In patriam domum, cum ex duobus mihi  
 credi-

creditis nobilissimis filii unum superfitem reducerem, recruduit dolor acerbissimus, laetitiamque redditii filii egregiis virtutibus austri memoria iacturae, quam in altero fecerant, parentibus Generosis haud parum minuit. Reliqui domum istam mihi vere paternom his ferventissimis precibus, ut PERILLVSTRES PARENTES fructus magni studii multaeque operae in filium optimae spei collocatae uberrimos capiant ac diuturnos, horumque laetissimo aspectu senectutem seram recreent atque exhilarent.

Sic vale mihi que favet, Amicissime FRIEDERICE a GROTE! Quocunque laudis honorisque cursum ierteris, votis meis precibusque Te comitabor, et, dum vita mihi suppetet, diuinae providentiae Te religiosissime tradam.

Iam me in patriam reducem, haec vrbs Apollini sacra primum recepit, cumque Academiam, quae in ipsa floret, summis viris famaque Splendidissimam, semper singulari reverentia suspicere, summos in vtroque Iure honores ambire, meosque qualescumque profectus, editis speciminibus consuetis Illustri Ictorum Ordini probare institui. Nil supereft, quam ut ex Illustris Ordinis decreto dissertationem inauguralem meam publicae eruditorum disquisitioni subiiciam. Quod, ut ex voto cedat, faxit Deus feliciter.

Huic igitur nostro Candidato, superato vtroque Examine magna cum laude, honores in iurisscientia summi merito decreti sunt. Quibus rite consequendis ut viam sibi aperiat, Praefide VIRO ILVSTRI atque IVRIS CONSULTISSIMO D. GOTTLIEB WERNSDORFIO, Instit. Prof. Publ. Ord. Cur. Prov. Elect. Scabin. et Ordin. Iurid. Vitenb. Allesiore, Fautore honoratissimo et Collega amicissimo, dissertationem inauguralem: *An ex legibus Saxoniceis in praescriptione actionum personalium bona fides necessaria sit?* proximo die XXIX. Octbr. publice defensurus est. Ut igitur MAGNIFICVS ACADEMIAE RECTOR, ILLVSTRISSIMI COMITES, PERILLVSTRES LIBERI BARONES, PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI, OMNES DIVINAE

HVMAT


HUMANAEQVE SAPIENTIAE DOCTORES, CIVESQUE OMNIVM ORDINVM  
AC DOCTRINARVM HUMANISSIMI, hunc actum solemnem honorifica  
praesentia sua celebrare velint, Ordinis mei nomine, omni, qua de-  
eet, obseruantia rogo. Ego hanc benevolentiam gratissimo semper  
colam animo.

Datum d. XXVI. Octobr. A. O. R. MDCCXCII.

---

VITE BERGAE.

LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.



**ULB Halle**  
004 334 728

3



f

86



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

Farbkarte #13



ORDINIS IVRIDICI  
IN  
ACADEMIA VITENBERGENSI

H. T.  
PRO - DECANVS

D. CHRISTIANVS GOTTLIEB  
H O M M E L

DIG. INF. ET NOV. PROF. PVBL. ORDIN. CVRIA  
PROVINC. ELECT. SCABINAT. ET FACVLT. IVRID.  
VITENB. ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO  
SALVTEM PLVRIMAM DICIT.

---

INEST  
DE FVRTO QVALIFICATO NON ARMATO.